

70
19

NAZ
MANUELE III

60

N
8

REPUBBLICA

160

N

48.

BIB. NAZ. NAPOLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III


160


N

48


NAPOLI











VINCENTII GREGORII LAVAZZOLI

ORD. PRÆD.

COMMENTATIO

DE

PRÆSTANTIA

SCRIPTURÆ SACRÆ;



NEAPOLI MDCCXGII.

Typis JOSEPHI MARIE PORCELLI Bibliopolæ
Ac Typographi Reg. Acad. Militaris

Superiorum facultate.



In lege Eius meditabitur die, ac nocte.
„ Iosue I. 8.
„ Ps. I. 2.




33

PERILLUSTRI . AC . GENEROSISSIMO
HENRICO . CAPYCIO . MINUTOLO
NEAFOL . ORATORII . S . PHILIPPI . NERII . PRÆPOSITO
EPISCOPO . MILETENSIS . B . M .
EIVSDEMQUE . ORATORII . PATRIBUS
ILLUSTRIBUS . MAGNIFICIS . SUMME
REVERENDIS . CONSULTISSIMIS
PATRONIS . SUI . INDULGENTISSIMIS
IANG . COMMENTATIUNCULAM . PIE . OBSERVANTISSIMÆQUE
CONSECRAT
A U C T O R .

A 1

PER-



PERILLUSTRIS AC GENEROSISSIME PRÆPOSITE,
 MILETEN. EPISC. B. M., PP. ILLUSTRES,
 MAGNIFICI, SUMME REVERENDI,
 CONSULTISSIMI, PATRONI
 INDULGENTISSIMI

SI quæ a Vobis, Patroni summi, in
 me, quem per decem, & amplius annos
 S. Theologiæ Lectorem, Clariss. Adole-
 scentibus vestris præfecistis, magna colla-
 ta beneficia demisso gratoque animo ve-
 neror, eorumque beneficiorum, nunquam

intermorituram recolo memoriam ; religioni etiam duco , hac commentatiuncula publicum quoddam eorundem extare testimonium , cujus materies summa , nostrisque difficillimis temporibus continuo mihi videtur esse tractanda . Equidem probe scio , doctrinæ de Scriptura Sacra ejusque præstantia nullum novum ingenio meo accedere posse lumen , & decus ; sed idem scio , Vos , Patroni Optimi , omnem diligentiam , omneque studium in legenda illustrandaque Scriptura Sacra pie collocatum , commendare , fovere . Qua de re & meum , quod sentio , quam sit exiguum , in hoc argumento tractando ingenium æqui bonique consulere velitis , quibus possum precibus contendendo , et enixe rogo , ut auctoritate , benevolentia , indulgentia Vestra me meaque studia sublevetis ; & quod iterum iterum-


rumque peto, Vestro Patrocinio & favori, quibus nihil mihi sanctius, honorificentius, præstabilius est, commendatissimum habeatis

VESTRORUM NOMINUM
ILLUSTRIMUM

Dabam in Cœnobio Neapolitano
S. Dominici Maj. Kal. Septembr.
CICIDCCXCII.

Cultorem observantiss. & obsequentiss.
Vincentium Gregorium Lavazzoli.

Scri-





I.

Scriptura Sacra, Prophetis et Apostolis a Deo inspirata, omnibus libris ingenio hominum confectis multo præstantior, multo est excellentior. Si vel scopum intendas, quem præfixum habet; vel viam, qua ad illum ducit, ingrederis, facili perspicies negotio, Scripturam Sacram omnibus hominum libris esse anteponendam.

Sunt quidem, et quasi supersunt nostris temporibus viri, omni eruditionis genere alioquin ornatissimi, qui, quo minus eam sacris libris concedant præstantiam, omnem, ut ita dicam, lapidem movent, omnem quasi hominum sapientiam, quæ literis consignata est, compiliantur, et undique conferunt. Quin? Indefesso quodam studio in eo elaborant, ut scripta vel sequioris, vel mediæ, vel recentioris ævi in
pu-

publicum proferant, quæ Scripturæ Sacræ palmam possint præripere.

Sed tantum abest, ut vel sapientia Græcorum et Romanorum, vel compilatio Muhammedis in Corano, vel ex Sinensium et Persarum Regionibus recens nobis allata doctrina libris, quos Christiani venerantur, sacris æquiparari possint, ut potius hæc a Deo nobis revelata et tradita Scriptura omnes alias, ut Sol minores stellas, antecellat et oscuret.

II. Latissime patet, in quem hic excurrere possem, campus. Sed ne expatiari videar, hortulani morem secutus, eximios tantum quosdam delibabo flores, qui odorem spargant, et propius ad ipsam Sacram Scripturam accedere invitent. Summa modo attingam capita, quæ revelationis divinæ, quam Christiani agnoscunt, excellentiam, præstantiam, decus et honorem extra omne dubium ponunt; quæ fidei regulam morumque disciplinam illustrent; quæ, si qua homini veri nominis felicitas contingere potest, eam sartam tectam stare, ideoque Libros hos Sacros diurna nocturna que manu versare docent.

III. *Vnum tantummodo Deum* esse, totius mundi creatorem perfectissimum, conservatorem, benefactorem, libri Veteris Testamenti in omni terra primi sunt, qui asserunt. De
sei-

seipso ita loquitur Deus: Audite Israelitæ Jova Deus noster, Jova unus est. Deut. VI, 4. (*) Sic mandat Jova: ego primus et idem ultimus, præter quem nullus est Deus, Jes. XLIV, 6. Ego Jova, quo excepto nullus est, excepto me, nullus est Deus, Jes. XLV, 5. Ego Jova, quo excepto nullus præterea Deus est, ego, præter quem iustus servatorque Deus non est. eod. cap. v. 18. 21. Nobis quidem Vnus est Deus, Pater ille, a quo omnia, et in quem nos, 1. Cor. VIII, 6. Vnus Deus et Pater omnium, qui est super omnia, et per omnia, et in omnibus. Ephes. IV, 6. Vnus est Deus, 1. Timoth. II, 5.

Me quidem non latent varia ratiocinia, quibus Vnitatem Dei evincere studuerunt Philosophi; sed æqua lance ponderatis omnibus, nullum superest, nisi illud: *Vno tantum Deo ad creationem conservationemque mundi demonstrandam opus est*. Equidem non ignoro, esse nostris temporibus viros, qui dicunt, iam mysteria eleusynia Vnum Deum docuisse; veterum Philosophorum eximios, Socratem, Platonem

(*) Ex interpretatione Textus Hebraici loca Scripturæ S. hic allegantur. Idemque docet nostra vulgata, quam sequi profitemur; nempe: „Audi Israel Dominus Deus noster, Deus unus est. Et in Prophetia Isaiæ „loc. cit.

nem eorumque discipulos *Vnum* modo *Deum* credidisse, quid? quod palam professos esse. Sed si dicendum, quod res est; is, qui pro mysteriis *eleusyniis* allegatur locus, (Dio Chrysostomus, Orat. XII. pag. 201. edit. Morelli. De Diis totius naturæ, cet.) ut verba sonant, de Vno Deo non loquitur, Philosophorum veterum principes, Vnius Dei cognitionem, non cuilibet, non plebi, sed sapientibus modo docendam esse existimant.

Non ita lucem fugiunt Sacræ Pandectæ, asserentes: Deum, a Mundo creato diversum; Vnum esse, qui sola voluntate *αυτοκρατορικ* visibilia et invisibilia creavit; eadem adhuc conservat; omniscientia, sapientia, et bonitate creaturas quaslibet præcipue ratione liberoque arbitrio gaudentes regit, et ita gubernat, ut sciant, ab ipso solo et Vno in omnes redundare felicitatem,

IV. Salva Vnitate Dei, quam ratiociniis evincere queunt Philosophi, quam libri Veteris Testamenti, asserente ipso Deo, extra dubium ponunt, Deum Vnum ita nos edocent, ut *כִּי הוּא* TRINITATEM in Ipso esse dicant; eorumque dictionem Noui Fœderis libri ita muniant iuxta et illustrent, ut, si vel *πρὸσωπα*, vel personas voces, Tres distinctos in Deo, essentia Vno, esse asseverent, quibus nomen, attributa, cultus et honos Dei competat; qui

Pa-

Patris, Filii, et Spiritus S. nomine insigniantur; qui a Jesu eiusque Discipulis eum in finem hominibus prædicentur, ut sciant: sanctitati iustitiæque diuinæ decus et honorem suum, demonstrata per expiationem Jesu benevolentia et gratia, adhuc inconcussum stare, et, quod salutis medium omnes latebat, *Spiritus Sancti* divinitus revelato verbo omnibus innotuisse, qui Deum cognoscere anhelant, eiusque dicto audientes esse non respuunt.

V. Deum essentia Vnum, personis trinum Scriptura Sacra omnibus sistit cognoscendum. Non ad sapientes et proceres tantum veram Dei cognitionem adstringit, sed nec plebi infimæ eam occultat; omnes, omnes Deum cognoscant, de eo, ceu felicitatis fonte vult gaudeant. Timorem et amorem Dei fundamentum vitandi vitii, exsequendæ virtutis ponit, indeque pronò, vt aiunt, alveo omnes virtutes derivat, Deut. VI. 4. 5. Gaudium in Deo felicitatem cuiusvis vel infimi hominis esse posse docet, quin exemplis demonstrat, Exod. XV. Sap. X. 14. Isa. XII. 2. Ps. CXVII. 14. Deum decenter adorandum, ipsi supplicandum esse licet nihil homini sanctius, nihil lætius, nihil honorificentius. Præter ea omni superstitioni, vano timori, *amorque effrenato* contra audentiores eunt sacræ paginæ, docentes, nec signa cœli hominibus esse timenda, Deut. XVIII, 10. 11. Jer. X, 2.

VI. Sed a Creatore ad creaturam, a Deo ad hominem deveniamus, et quædam videamus momenta, quibus præstantia Scripturæ Sacræ præ ceteris libris omnibus evincenda est. Non, ut Philosophi veteres nugantur, homo natura sapiens sacris literis perfectus dicitur; sed potius quemlibet hominem, etiam optimum quemque imperfectum et peccatorem coram Deo esse arguunt, eiusque causam in abusu libertatis, uti quotidie adhuc videmus, ponunt; reos itaque coram Deo, et peccatores omnes homines etiam optimos faciunt, qui gratiam sanctissimi Dei nulla alia lege, nisi per factam a Jesu mediatore expiationem, recuperare queant; qui pœnitentia, fide in Christum, et supplici prece favorem Numinis summi querendum, anhelandum, amplectendum habeant, eaque ratione demonstrandum, se filios Dei per Jesu meritum adoptivos esse, quos secum iungere pariter et æternæ participes reddere velit felicitatis intensissimus misericordis Dei amor, summa eius erga homines peccatores benevolentia.

VII. Tum Veteris tum Novi Testamenti libri Deum non otiosum mundi, quem creavit, spectatorem faciunt; novum potius maximumque argumentum suppeditant de veritate illa summa: Deum mundi euentus omnes probe et multum antea præscire, *singulas* creaturas noscere, sine eius nutu nihil accidere, et omnia
in

in bonum iis , qui ipsum amant , dirigere . Si vel Historiam mundi ab incunabulis , quam Moses descripsit , evoluas ; quæ de lapsu hominum , de Diluvio Noachitico , de origine variarum linguarum , de Patriarcharum vitis , de populo sibi lecto dilecto que Israelitico refert ; vel Historiam servatoris nostri Jesu Christi ab Evangelistis et Apøstolis delineatam , attente legas : ubique Deum omniscium , gubernatorem humanarum rerum sapientissimum , rectorem cuiuscunque eventus iustissimum , maxime benevolum familiæ hominum deprehendes patrem , cui omnes , si vel ex infima plebe sint , confidere , ipsique res suas commendare necesse habeant .

VIII. Libri Veteris Testamenti , Mosis præcipue scripta , quidem varios ritus externos cærimoniasque ponunt , nullum vero alium in finem , quam ut Dei Vnius cultus saluus apud Judæos , medios inter idololatrias habitantes , redderetur ; omnesque illi externi ritus statim abrogarentur , simulac Novi Foederis stator appareret Jesus Christus , qui cum Discipulis suis , et Ecclesia , nos Religionem , cultumque divinum docuit . Libri Novi Testamenti SEPTEM ponunt sacros ritus , qui Sacramentorum nomine veniunt . Præterea omne religionis Christianæ fundamentum ponunt in fide ea , quæ de essentia , operibus , consiliisque suis Deus revelavit ; ponunt in orituro exinde amore erga

B

Deum

Deum proximumque , in exercendis illis virtutibus, quæ ex amore isto proveniunt, tandem in sacris ritibus ad cultum divinum pertinentibus . Videsne , quam vim , extollere animum ad Deum , excitare nos ad virtutem , iustificare , etc. habeant ?

IX. Omnes homines unam quasi Dei Patris Cœlestis familiam esse dicit Scriptura Sacra . Qua de re amorem hominis cuiuscunque , sive indigena, sive peregrinus sit, Veteris Testamenti libri postulant ; leges vero , ministerio Mo- sis , latis in beneficium infimæ plebis , servorum , ancillarum , exterorum , opibus destitutorum proferunt , Malach. II, 10. Exod. XXI, 27. Qua de re id quod ager , hortus, vinetum, sua sponte septimo quovis anno, non parce in terrâ Chanaan , proferebat , pauperibus inter Israelitas erat lege constitutum ; quin imo erga iumentum commendatur misericordia .

Hunc autem amorem erga alios luculentius adhuc Noui Fœderis libri illustrent , qui toti in eo sunt , ut vel inimicorum amorem commendent , suadeant , urgeant ut necessarium , imo augustiora hujus eximie virtutis in Jesu eiusque Discipulis exhibeant exempla , quæ sequi et imitari debemus , si veri nominis Christiani esse volumus .

X. Timorem Dei postulat quidem Scriptura
Sa-

Sacra, sed eam putat Numinis divini reverentiam, quæ Patri benefico, vel offenso, a filiis obsequentibus competit. Quamobrem nec ulli homini onus crudele importat, uti apud Sacerdotes Baalis, III. Reg. XVIII, 28. in institutionibus Muhammedis in Corano, et apud veteres Philosophos, in Diogene Cynico videmus.

Longe aliam Numinis divini reverentiam sacræ literæ quæritant, reverentiam, quæ nemini, si iustus sit, lætitiâ innocentem interdicit. Christianis namque gaudium in Deo creatore, conservatore, rectore, benefactore; lætitiâ omnibus fraterno amore iunctis, *modo improbum scelus absit!* iniungitur, commendatur. Ps. XXXII. et LXXX. Edit. Vulg.

XI. Quo faciliori negotio lætitiæ huius puræ participes esse queant Christo addicti, etsi Virginitatem, et Cœlibatum supra Matrimonium commendet Scriptura Sacra, Matth. XIX. vers. 10. 11. 12. Paullus I. Cor. VII. 25. 28. 40. Ad Galatas v. 22. Apoc. XIV. vers. 3. 4. societatem tamen conjugalem suadet eam, quæ intemperantiæ et libidini perversæ frenum iniiciat his, qui non sunt voto obstricti, et impediti. Non solum leges à Mose latæ omni adultero decernunt supplicium; sed maior Mose Propheta Jesus, eiusque Apostoli leges coniugii præscribunt, ponunt, sanciunt

eas, quas nullus antea Legislator dedit, aut Philosophus suasit. Ita scilicet ante tempora servatoris nostri inter vivos degentis Jesu Christi, nullibi coniugium per leges in ea perfectione fuit constitutum, in qua illud tempore Christianismi deprehendimus. *Non concupiscas*, ita suffulcit Jesus, ut concupiscentiam illam iam adulterium quasi inchoatum esse affirmet, Matth. V, 28. Diciturque eius Paullus ita illustret, ut maritum quidem uxoris caput constituat, sed eum in finem, qui maritus ad exemplum Christi, Ecclesiam suam ut sponsam adamantis, diligat feminam, femina marito obediat, Eph. V, 22. 25. 1. Cor. VII, 3.; ut denique thori socios connubio semel iunctos non nisi morte solutos esse, sed, si ipsis liberi contingunt, communes eorum manere velit *κλισηγυγους*, Eph. VI, 4. 2. Cor. XII, 14.

En DECALOGUS sex dumtaxat versibus comprehensus, a quo universa dependet Philosophia.

Me solum venerare DEUM, nec sperne quod oras:

Impia nec vox sit, luce quiesce sacra.

Majores reverenter habe; nec sanguine dextram

Infice nec Sancti pollue jura Tori.

Pura manus furti: sit falli nescia Lingua:

Nullius optetur Verna, Marita, Pecus.

XII. Tum doctrinae tum praecipua morum, quae in Scriptura Sacra traduntur, neque methodo philosophica demonstrantur, neque ex prin-

principiis rationis deducuntur, quippe quod non omnium omnino hominum esset, sed tanquam effata et mandata divina proponuntur, si Deus in Veteri Testamento per Prophetas ita loquitur: *Sic dicit Jova*; si in Novo Testamento Jesus ait: *Veritas est, quod dico*. Deum autem in sacris literis ipsum loquentem, Jesum veritatem asserturum esse, a Prophetis, Jesu et Apostolis non clam sed ante multorum oculos patrata miracula, ab ipsis elocuta, eventaque perfectissime completa vaticinia extra omne dubium ponunt. Moses in conspectu totius Populi Israelitici nullam fraudem admittentia miracula, vaticinia suo tempore adimpleta edidit: Elias paria præsentibus Baalis Sacerdotibus patravit: Davides, Jesaias ceterique Prophetae vaticinia edixere de rebus futuris maxime contingentibus, quæ vel ad unguem ita evenerunt, uti prædicta erant: quid? quod servatoris nostri Jesu Christi tum vaticinia, tum miracula eo augustiora sunt, quo maiori gaudent complemento, quo graviori insigniuntur eventu iuxta, summoque firmantur pondere.

XIII. Bona cuiuscunque generis precibus a Deo obtinenda esse affirmat, suadet Scriptura Sacra. Si vel Noachum post Diluvium ad aram *ευχαριστων*, vel Abrahamum pœnam Sodomorum deprecantem, vel Mosen Josuamve victoriam supplicantes, vel Davidem, Hiskiam, Manassem pœnitentiam agentes in Sacris Libris audias;

vel summum hominum, apud Deum, intercessorem Jesum pro suis Joh. XVII. orantem, pro inimicis, Luc. XXIII, 34. intervenientem videas: quis precum apud Deum valor odorque, quod summum earum pondus sit, intelliges. Hinc primi Fideles Act. I, v. 14. *Omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum MARIA Matre IESU.*

Scio quidem, superbia elatos homines; nostra præsertim ætate, præcum utilitatem iuxta et necessitatem in dubium vocare imo spernere; sed quæ proferunt, non tanti sunt, ut intermittere orationem ad Deum debeamus. Etenim, si, quæ habent homines, omnia a Deo creatore, conservatore, rectore veniunt, si nullo ipsorum merito, ast libero ipsius beneplacito, vigorem animi, sanitatem corporis, tempestatem cœli, et quæ non alia naturæ bona cuncta obtinent; si non ullo maiori, in adversa fortuna, dolorum lenimine gaudent; si laude divina publica que gratiarum actione cœlitibus similes fiunt: precum nostrarum per Jesu meritum exauditarum decus et honor etiamnum stat vigetque intemeratus, effatumque illud, Jesu sanctorumque omnium exemplo confirmatum, Pauli scilicet, 1. Thess. V. 17. *Continenter orate*, sequamur necesse est: Et ibidem in nostra vulgata: *Sine intermissione orate.*

XIV. Vitam, post mortem naturalem, futuram aliam suspicari quidem fuere veterum Philosophorum multi, veruntamen dubii et incerti mansere, quid de hac solatii plena doctrina sit statuendum? Jam vero hospes ac peregrinus in historia populorum sit necesse est, qui nesciat, immortalitatem animi, vitamque, post mortem, futuram alteram non omnes orbis terrarum gentes credidisse. Sed quam de hac re aluere et fovere spem omnes homines, ipsis factis certiozem reddit Scriptura Sacra, et præcipue dictum illud servatoris nostri Jesu Christi, qui e denominatione Dei Abrahami, Isaaci et Jacobi argumentum pro immortalitate animi desumit, Luc. XX, 37. 38. de se ipso resurrectionem e mortuis tertio post supplicium die prædixit, Matth. XII, 40. suoque ipsius exemplo ita comprobavit, ut dubia quæcunque vel recentissime prolata evanescent, quin huic spei veritatisque omnis a Paulo superstruatur Christianorum fides et religio, 1. Cor. XV. 16. 20.

Præterea vitam, post mortem naturalem, futuram, non ad Phythagoricam animarum migrationem, non ad $\psi\upsilon\chi\sigma\tau\alpha\iota\sigma\tau\upsilon\chi\iota\sigma\tau\upsilon$, non ad Muhammedis Paradisum lascivia et delitiis abundantem, sacræ literæ adstringunt; sed eam potius vitam æternam asserunt, quæ vel male actorum vel probe factorum sit remuneratio iusta; quæ peccatoribus pœnam, remotionem

a conspectu Dei omniumque Sanctorum, cruciatus animi corporisque decernat; quæ piis inefabilem adhuc, ast nihilominus certissimam et *arctiorem* cum Deo coniunctionem, maiorem eius cognitionem, maximum in eo gaudium, felicitatem promittat omnibus numeris absolutam.

XV. Vltimum denique, ne quæ brevis et succincta commentatio esse debebat, in librum insurgat, vltimum quod allego pro præstantia Librorum Sacrorum argumentum hoc esto. Simplex nullisque verborum lenociniis commixtus est Bibliorum stilus, populo potius, ut tum erat, Judaico, cœlique, sub quo vivebant, climati, maxime conveniens. Moses et Jesus, Prophetæ et Apostoli nihil philosophice delineant, plerumque omnia sermone populari proponunt, nihil contradictorium afferunt. Quamvis autem nullis e Philosophia petitis argumentis utantur; quamvis tum doctrinas fidei, tum præcepta morum, vel historias lingua populari perhibeant: (Blasphemant, qui statuunt, *Scripturam loqui interdum ad erroneam vulgi opinionem*. Quo ipso satis iam superque proderent videntur DEUM posse fallere, immo etiam *actu ipso* fallere. O Philosophi!) Religionem tamen terrarum gentes docuerunt eam, cui nec sapientia Philosophorum, nec auctoritas Sacerdotum Ethnicorum, nec potentia Cæsarum resistere valuit; religionem docuere scriptis, quæ
nullo

nullo mundanæ scientiæ vel eloquentiæ humanæ ornatu gaudent ; religionem docuere eam ; quæ vel superstitionem vel fastum , vel vitia paganorum horrenda debellavit .

XVI. Jam evolvas , rogo , scripta veterum Græcorum : nullibi tales , ut iam e Scriptura Sacra protuli , invenies doctrinas , Deum arguentes auctorem . De summo inter veteres philosopho , Socrate , quid de Deo rebusque divinis statuerit ? Certi nihil scimus , nisi illud , quod ambo ipsius discipuli , Plato et Xenophon , memoriæ prodiderunt ; vel associates his acutissimum Aristotelem , aut Epictetum , nunquam tamen te docebunt tanti viri Deum Vnum , a mundo spectabili diversum , ipsiusque creatorem , conservatorem , rectorem ; docebunt potius : a Diis intermediis orbem terrarum procreatum ita esse dispositum , ut nullo amplius Dei summi regimine indigeat ; ut liberis hominum actiones Deus summus haud curet ; ut vitam post mortem futuram , vel dubiam , vel incertam reddant , vel omnes pœnas omniaque negent præmia .

Adeas , quæso , qui a tantis viris didicere ; summos Romanorum Oratores aut Philosophos Ciceronem , Senecam , Antoninum ; num timorem amoremque Dei fundamentum doctrinæ morum ponunt ? Num obedientiam Deo ? Nonne sibi ipsis suæque scientiæ maiora quam Diis de-

debere credunt? Nonne, quid iustum, honestum, decorumque sit dicere fluctuant?

Audias, rogitō, Poetas Hesiodum, Homerum; Pindarum, Callimachum, Virgilium, Horatium, Ovidium, laudes Deorum canentes; audias, nec erubescas, flagitia Jovis, Bacchi, Martis, Priapi, Veneris, cet. Audies; ne ullum quidem carmen Deo decorum apud ipsos invenies; nullum, qui vel minimo Davidis Psalmo æquiparari possit pœana.

XVII. Qui medio ævo inter Arabes caput extulit novamque religionem exstruxit mercator Muhammedes, in libro, qui *Coranus* dicitur, quæ boni odoris sunt, e Scriptura Sacra decerpit; multa ex suo ingenio, non ita secundo, admiscuit, quæ vel compilatorem magis quam divinum Prophetam arguunt. Inspicias, quæso, hanc vel illam Suram, si vel optima, ut secunda et octava in Corano sit, omne religionis fundamentum in eo positum invenies: faciem adorantis hominis Meccam versus esse dirigendam; Meccam ipsam a quolibet vel semel adeundam; Muhammedi etiam sine miraculis credendum: qui fidem Corano habere nolunt, morte mulctandos esse. En doctrinas, quæ cultum quidem externum Dei quandam, non absque superstitione, ponunt! Multas vero alias homini scitu necessarias sicco quasi pede prætereunt, nullamque animi spem

spem, nullam veri nominis promittunt felicitatem.

XVIII. Nostris temporibus liber in publicum prodiit, qui Zend-Auesta vocatur, liber, quem Persæ et Indostani Ignem sanctum reputantes ipsumque adorantes; normam religionis suæ faciunt. Æternam æternitatem hic liber constituit summum Deum, qui bonum malumque, binos creatores Mundi, procreaverit, quos cultu Ignis, multis precibus, multaque erga canes, *risum teneatis!* reverentia sibi propitios reddere debeant homines. Rex Bactrianorum omnisque magiæ pater Zoroaster auctor huius libri esse dicitur. Sed quæ de ipso perhibentur, incertissima sunt; et, si verum est, ab hoc mago librum, qui Zend-Auesta nomine venit, esse exaratum: vel quædam modo eius paginæ evoluendæ tibi sunt, qui scire cupis; nec Deo summo decentem cultum, nec homini prudenti pioque tolerabilem ibi præscriptam esse religionem.

XIX. Jam autem antiquissimum, quem in orbe terrarum reperies, ad manum sumas, librum, benevole lector, Scripturam puto Sacram, quæ Prophetis et Apostolis a Deo summo fuit revelata, et eius, quam velis, paginam inspicias: ubique ipsius præ ceteris libris omnibus deprehendes præstantiam, excellentiam, ac decus. Si vel Deum ipsum in Scriptura

;Sa-

Sacra loquentem audis, vel omnia quæ profert, maiestatis summæ plena deprehendes (*): Audite, o Cæli, attende, o Terra, nam Jova loquitur. Filios alui et educavi, qui a me defecerunt. Novit bos herum suum, et asinus præsepe dominicum: Israelitæ non noverunt, populus meus non sapit. Heu gentem improbam, populum vitiis onustum, stirpem maleficam, natos perditos, qui Jouam deseruerunt, sanctum Israelitarum despicati sunt, retro recesserunt. Jes. I, 2-4. Ego sum Deus omnipotens: vive ad meum præscriptum, et esto integer, Genes. XVII, 1. Bono animo es, Abrame, ego tibi præsidium et abunde magnum præmium ero ibid. XV, 1. Sancti estote: nam sanctus ego Jova Deus vester, Levit. XIX, 2. Recensne Deus ego? inquit Jova: ac non Deus longinquus? Videlicet ita latebit in tenebris homo, ut ego eum non videam? inquit Jova: quasi vero non ego cælum terramque compleam, inquit Jova. Jer. XXIII, 23. 24. Audi, mi popule, dum loquor, Israelita, dum te comonefacio, Deus, Deus ego tuus. Non equidem te propter sacrificia tua, propter tuas solidas hostias apud me perpetuandas reprehendam. Non tauros ex tua domo, non hircos ex tuis accipiam caulis. Nam mea sunt omnia silvestria animalia, omnes in mille montibus be-

(*) Ex Textu Hebr. Adeas vulgatam *loc. cit.*

bestiæ. Omnes ego montanas volucres recognosco, terrestresque belluæ me penes sunt. Quod si esurirem, non id tibi dicerem, meus quum sit Mundus, et quidquid eo continetur. Scilicet taurina carne vescar, aut hircinum bibam sanguinem? Sacrifica Deo et solve supremo tua vota. Tum me rerum adversarum tempore invocato: et ego te ita defendam, ut tu me honores. Ps. LVII. 15. Et in vulgata Ps. XLIX.


XX. Si vel homines gratiam apud Deum quaerentes aut agnoscentes auscultas, nihil ipsorum naturæ et conditioni magis conveniens invenies, quam verba illa Jobi: Tu, o Deus, vita me adfecisti ac beneficiis, idemque mihi tua cura servas spiritum, X, 12. Verba Jacobi: Equidem impar sum tantis beneficiis et officiis, quibus tu me tuum adfecisti, Genes. XXXII, 10. Josephi: Num me tanto flagitio obstringam? tantumque in Deum scelus admittam? Genes. XXXIX, 8. Davidis: Ago tibi gratias, quod tam abstrusa ratio mirifice in me adhibita est: mirifica sunt tua facta, id quod ego animo præclare recognosco. Non te latuere mei artus, quum in abdito fierem, ingeniose contextus in ima terra. Mei rudimenta vidisti tuis oculis, eaque spatio conformanda temporis, omnia, ne uno quidem excepto, erant in tuo descripta codice, Ps. CXXXIX, 14. 16. In Vulgata Ps. CXXXVIII, Explora me, Deus, meam mentem noscitant. Et vide, an sim in
pra-

prava vivendi via; meque in viam ducito durabilem, ibid. v. 23. 24. Quid te deiicis, anime mi? aut quid in me turbaris? Spem habe in Deo, quem adhuc celebraturus sum, meum præsentem servatorem atque Deum, Ps. XLIII, 5. 6. In vulgata Ps. XLII.


XXI. Hæc, Lector attente, sunt verba Deo, ipsique subdito homini maxime decentia, quorum innumera e Sacris possent afferri Libris. Sed claudio iam rivos, sat prata bibere, et certissime scio, nec ullum e prophanis Scriptoribus locum posse adduci, qui vel cantico Mosis, Deut. XXXII, vel Davidis Psalterio, vel Salomonis Orationi ad Deum, III. Reg. VIII, 22. 61. vel Paulli Institutioni, Rom. VIII. queat æquiparari.

Tantum igitur abest, ut scripta hominum ingenio conficta libris, quos Christiani venerantur, sacris palmam possint præripere; ut potius omnibus aliis longe excellentior, multum præstantior sit Scriptura Sacra.

Soli Deo Trinuni Gloria.



1867



78
C
19



